

PROLOGVS.

Intra tota deplorandas calamitates, quibus castissima Medicinæ Facies ab irrationalibus, falcemque suam in alienam Messem mittentibus male afficitur Medicastris, premiturque, non ultimum sibi vindicat locum illa lues, plurimorum, quos nominavi, animos inficiens, qua morbos occulto quodam modo, mediisque sanæ rationi genuinæque ac legitimæ Medendi Methodo e diametro adversantibus curari posse ac debere absurde satis opinantur. Quantum vero hoc ipso in sacram illam artem redundet detrimenti, dum, quæ erat antea rationalis, omnis obscuro occultarum qualitatum obvolvitur obtegiturque peplo, dum, quæ ob egregia suis a Promachis inventa, multaque comprobata experientia exultabat remedia, infidis, superstitionis, ac absurdis, obscenisque, medicamentis debonestatur plane atque deturpatur, accurata ponderantibus animi lance non potest non innescere. Quam rem cum perpenderet diligenter Excellentissimus DN. PRAESES, suaque hæc animi sensa mecum benevolè communicaret, haud aliter potuit, quam ut Autor mihi esset Suasorque, qui de hac Materie inauguralem conscriberem Dissertationem. Quod argumentum eo lubentius